



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

915. Vtrum etiam in unione facienda per Legatum, vel ex commissione Papæ requiratur consensus Capituli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

3. Ampliatur responsio secundò; ita ut adhibicio hujus consensus requiratur pro forma, adeoque eam omisâ, unio sit omnino nulla. Corrad. cit. c. 8. n. 23. Garc. loc. cit. nu. 166. Ventrigl. loc. cit. nu. 5. citans Barbof. de Canon. & dignitat. c. 42. num. 8. Ricc. in pr. resol. 288. in princip. Idque, ut Garc. Capitulo non dicente seu opponente. Ac prouide jam etiam non sufficit adhibitum Capituli Consilium. Azor. loc. cit.

4. Ampliatur tertio, ut non sufficiat consensus, si sit singulorum de Capitulo, sed requiratur consensus Capitulariter. Ventrigl. loc. cit. nu. 2. in fine. citans Rotam decis. 484. n. 7. p. 1. recent.

5. Ampliatur quarto, ut non sufficiat consensus tacitus, sed requiratur expressus. Ventrigl. loc. cit. n. 4. citans Fusc. de visit. l. 2. c. 26. n. 5. contra Monet. de commut. ult. vol. c. 12. n. 251.

6. Ampliatur quinto, ut etiam in unione beneficii, quod est de jure patronatus laicorum, etiam postquam laici patroni consensum suum præstiterunt, requiratur in super consensus ille Capituli. Ventrigl. loc. cit. n. 9.

7. Ampliatur sexto, ut requiratur adhuc consensus Capituli, etiam in unione beneficiorum simplicium facta dignitati, & præbendis ipsius Ecclesiæ Cathedralis; et si enim hæc unio per consequens redundet in utilitatem Capituli, quia tamen principaliter, & directè non fit in favorem Capituli, Capitulum præstare potest suum consensum, adeoque eum requirere tenetur Episcopus. Ventrigl. loc. cit. n. 10.

8. Amplianda videtur septimò, ut non sufficiat, hunc consensum subsequi factam unionem, quemadmodum aliàs sufficit ad hoc, ut collatio beneficii Jurispatronatus valeat, subsequi consensum patroni. Item ut alienatio rerum Ecclesiæ, de qua in c. cum nos. de his, qua sunt à Pralat. subsistat, sufficit subsequi consensum Capituli; quia hic consensus est requisitus ad valorem, & substantiam unionis, & requiritur de forma, & tanquam solennitas in ipso actu unionis adhiberi debita, adeoque tempore unionis jam adesse debet. Castrop. loc. cit. n. 26. Burlat. conf. 185. l. 2. n. 14. Rebuff. in compend. alienat. n. 15. Imol. Burrio, & alii in cit. c. cum nos. apud Garc. cit. c. 2. n. 149. contrarium tenentibus Ventrigl. loc. cit. nu. 8. (qui tamen addit cum Barbof. de Canon. & dignitat. c. 42. n. 8. in fine. Quod si tamen dictus consensus præstiterit prius postceptum iudicium nullitatis unionis ob defectum illius consensus, non revalidandam unionem) Garc. loc. cit. n. 142. Azor cit. q. 12. in fine. Rebuff. ad reg. 21. Cancell. gl. 11. n. 20. Hojed. de incomp. p. 2. c. 3. n. 9. Sanch. cit. c. 29. nu. 165. apud Castrop. loc. cit. Item contrarium tenente Barbof. juris Ecclesiæ. l. 3. c. 16. nu. 45. & aliis; quorum sententiam communiorem fatetur Castrop. Neque obstant exempla adducta in contrarium; cum necessitas consensus patroni in favorem illius sit introducta; idemque sit de consensu Capituli in alienationem rerum Ecclesiæ; consensus verò Capituli in unionem, non in gratiam Capituli, de cujus præjudicio non agitur in unione, sed in gratiam Ecclesiæ, ne passim & temerè uniones fiant, est requisitus. Castrop. loc. cit. In dubio autem præsumi hunc consensum intervenisse ex temporis diuturnitate ait Barbof. cit. n. 45. ex Hojeda.

9. Limitatur e contra responsio primò, ut necesse non sit adhiberi consensum Capituli in unione faciendâ per Episcopum; sed ea fieri possit abs-

que Capitulo, ubi existat consuetudo in contrarium. Barbof. loc. cit. n. 42. citans Sanch. in decal. l. 7. c. 29. n. 164. Ventrigl. loc. cit. n. 11. Castrop. loc. cit. n. 25. Corrad. in pr. benef. l. 2. c. 15. n. 68. Garc. cit. c. 2. n. 152. citans Fusc. de visitat. l. 2. c. 26. n. 5. Caccialup. de union. a. 6. a. num. 10. contra gl. in cit. Clem. si una. v. consentiente. Imol. ibid. nu. 16. Abb. n. 2. Felin. in c. cum causam. de re judic. n. 10. Pet. de Perus. de union. c. 5. q. 8. Lancell. &c. Hanc consuetudinem debere esse immemorabilem, tenent Barb. Castrop. ll. cit. Garc. n. 155. citans Gamb. de pot. leg. l. 5. rub. 1. de pot. leg. in uniendo n. 58. & 108. Card. in Clem. si una. num. 12. Aut quadragenariam cum titulo. Garc. cit. num. 155. Castrop. loc. cit. ed quod, ut Castrop. videatur esse præscriptio. Quin & sufficere solum tempus 40. annorum in consuetudine generali, qua esset consuetudo propria, & non præscriptio, ait idem Garc. nu. 156. & ex eo Castrop. cit. n. 25. Et talem consuetudinem generalem, per quam derogatum sit obligationi requirendi consensum Capituli, dari in regnis Hispaniæ, ait idem Garc.

10. Limitatur secundò, ut si Capitulum requisitum nollit abique legitima causa præbere consensum, possit Episcopus procedere ad unionem sine illo consensu; si tamen prius Capitulum ad consentiendum fuerit compulsus; cum Episcopus privandus non sit potestate uniendo, quam habet, ob contradictionem irrationabilem Capituli. Azor cit. q. 12. Castrop. cit. nu. 25. citans Rebuff. ad reg. 21. Cancell. gl. 11. n. 3. Sanch. loc. cit. Socin. Senmor. in c. sicut unire. a. 6. concl. 1. n. 92. Quod si tamen iusta est causa contradicendi; Episcopo unionem molienti, unius de Capitulo contradictio sufficere ad impediendam unionem. Castrop. loc. cit. ex Sanch. loc. cit.

Quæstio 915. Vtrum etiam in unione faciendâ per Legatum, vel ex commissione Papæ requiratur consensus Capituli?

Respondeo: Si Legatus uniat ex potestate sua ordinaria, seu ut Ordinarius, requiritur consensus Capituli; quia tunc non habet ampliorem in uniendo beneficium potestatem, quam Episcopus, & tenetur iisdem legibus ac iuribus, quibus Episcopus; adeoque si hic eger consensu Capituli, etiam ille. Si verò uniat ut delegatus Papæ, sive ex commissione (intellige specialis) Pontificis, in qua mentio non fit requirendi consensus Capituli, non requiritur consensus Capituli; quia tunc uniat ut supplens vices Papæ, qui non habet opus requirere consensum Capituli. Barbof. juris Ecclesiæ. l. 3. c. 16. n. 46. Ventrigl. cit. §. 2. nu. 7. Castrop. loc. cit. n. 24. cit. Socin. ubi ante. a. 6. concl. 14. n. 115. Sanch. loc. cit. nu. 166. Contra Garc. in quantum loc. cit. n. 150. absolute sine illa distinctione docet, in unione faciendâ per Legatum non requiri consensum Capituli, & pro hoc citat Caccialup. a. 6. concl. 14. Pet. de Perus. c. 5. nu. 18. Pavin. de pot. cap. sed. n. 19. Gamb. de pot. leg. l. 5. rub. 1. de pot. leg. in uniendo. n. 58. & 110. Nav. conf. 10. nu. 10. de off. leg. Hojed. &c. Item contra Lott. l. 1. q. 28. n. 154. in quantum ibi tradit, Legatum, quamvis Ordinarius jure pollentem non teneri præmittere tractatum; cum nulla sit ei cum Capitulo communicatio; ex eo enim sequi videtur ob rationem participationem, illum nullum consensum necesse habere ad requirendum Capituli. De cetero tamen, dum Episcopus

scopus ex speciali commissione Papæ unionem facit (nisi aliud habeat rescriptum) requiri adhuc consensum Capituli; tradunt Fallos. *caus. 8. deb. 5.* Boer. *decis. 345. n. 4.* Practicabil. *Rotæ de union. n. 12.* Rebuff. *in pr. ad reg. de union. gl. 11. nu. 2.* apud Garc. *nu. 151.* qui in hoc etiam contrarium sentire videtur, dum *ibidem* absolute ait, non requiri consensum Capituli in unione faciendâ per Papam, seu ex ejus commissione.

Quæstio 916. Quo dicente seu allegante, unio facta per Episcopum sit nulla ex defectu consensus Capituli?

Respondeo: Hæc nullitas opponi potest non solum per ipsum Capitulum, sed per quemlibet alium, cujus interest, non valere unionem; quia ut dictum, non in favorem Capituli, sed pro forma, & solemnitate in gratiam Ecclesiæ, & pro ejus recta gubernatione requiritur hic consensus. Garc. *cit. c. 2. n. 164.* Ventrigl. *loc. cit. n. 6.* Barbof. *cit. c. 16. n. 44.* Castrop. *loc. cit. n. 27.* Lott. *l. 1. q. 28. n. 176.* citantes Rotam *decis. 247. n. 5. p. 1. divers.* & in *Verdum. union. 23. April. 1610.* Unde in hoc, ut rectè Castrop. maxima apparet diversitas inter alienationem rerum Ecclesiæ, & unionem beneficiorum, prout patet ex dictis q. *præced.*

Quæstio 917. An in unione Canoniciatus Ecclesiæ Collegiatae, vel etiam beneficii alterius Ecclesiæ, habentis Collegium aliquod Clericorum, constituentium, vel potius representantium Capitulum, necessarius sit præter consensum Capituli Cathedralis consensus dicti Capituli Ecclesiæ Collegiatae, vel etiam alterius illius Ecclesiæ?

Respondeo ad primum affirmative. Ventrigl. *cit. §. 2. n. 15.* ubi: in suppressione Canoniciatus (qualis contingit in unione illorum facta accessorie aliis beneficiis) Ecclesiæ Collegiatae requiritur consensus Capituli Ecclesiæ Cathedralis, & ejusdem Ecclesiæ Collegiatae, aliis suppresso & unio redituum illorum esset nulla. citat pro hoc Sell. *Select. Canon. c. 34. n. 8.*

2. Respondeo ad secundum etiam affirmative Ventrigl. *loc. cit. n. 14.* ubi: in unione beneficii, cujus collatio spectat ad inferiorem collatorem, requiritur non solum consensus istius inferioris collatoris, sed etiam consensus Clericorum, constituentium Capitulum cum dicto Prelato inferiore, ultra consensum Capituli Cathedralis, citat pro hoc Sanch. & Barbof. *juris Eccl. l. 3. c. 16. n. 43.* ubi tamen hic posterior de hoc nihil.

Quæstio 918. An pro valore unionis requiratur consensus Rectoris, seu Possessoris beneficii uniendi, vel is vocandus sit, aut saltem ei insinuanda sit talis unio facta?

Respondeo ad primum, neque illius consensus requiritur, neque vocandum; cum nullum patiatur præjudicium per talem unionem; utpote quædurante ejus vitâ non fortitur effectum, intellige, quod ad executionem. Quin & potest is beneficium unitum permutare cum alio, & in favorem resignare, factâ mentione unionis, quæ resignatio passim à Papa admittitur, cum suspensione unionis pro illa vice. Cujus autem jus non deditur, quia est cum unione compatibile, illius vocandi, aut consensus illius exquirendi, ut inquit Lott. *loc. paulo post citando. n. 179.* nulla est necessitas. Cor-

rad. *pr. benef. l. 4. c. 8. nu. 29.* & *l. 2. c. 15. num. 84.* Ventrigl. *cit. §. 2. n. 16.* Tond. *qq. benef. p. 3. c. 156. n. 5.* Lott. *l. 1. q. 28. n. 171.* & Barbof. *loc. cit. n. 41.* Garc. *p. 12. c. 2. nu. 214.* (addens idem procedere in unione faciendâ per Legatum, citans pro hoc Gamb. *de pot. leg. l. 5. rub. 1. de pot. leg. in uniendo. n. 114.* uti idem ex eo ait Barbof. *loc. cit.*) Castrop. *cit. §. 2. n. 23.*

2. Ampliatur responsio primò, & à fortiore extenditur ad Rectorem, non Ecclesiæ, seu beneficii uniendi, sed Ecclesiæ, in qua est beneficium uniendum. Garc. *cit. num. 215.* citans Rotam *decis. 133. n. 14.* & *15. p. 2. divers.* Corrad. *cit. c. 8. nu. 29.* citans eandem Rotam *decis.* ac dicens in ea responsum, quodd, etiam si præstimoniaris teneatur Ecclesiæ ad aliquod servitium, nihilominus in illa præstimonii unione nullum factum præjudicium dicto Rectori, illiusque Ecclesiæ; eò quod per unionem unius Ecclesiæ ad alteram, non alteretur status Ecclesiæ unitæ, sed debeat ei more solito deserviri.

3. Amplianda secundò, ut procedat, etiam in casibus positis in Trident. ut vocatis his, quorum interest, fiant uniones. Garc. *nu. 217.* contrarium visò sentire Fusc. *de visitat. l. 2. c. 26. n. 11.* Item in unionibus faciendis ex commissione Papæ, cum dicta clausula; vocatis, quorum interest. Garc. *n. 218.* quamvis dictâ ampliatione opus non sit; cum dicta clausula vocationem Rectoris non comprehendat, utpote cujus non interest; cum nullum ex unione capiat præjudicium.

4. Limitanda e contra responsio primò, ita ut, si talis unio foret præjudicialis Rectori beneficii (idem est de Rectore Ecclesiæ, in qua situm beneficium unieadum) utriusque is vocandus esset, & unio facta sine illius consensu non valeret ex Regula, quam ponunt omnes in *cit. Clem. si una.* præcipue Calderin. *nu. 17.* nempe quodd, vocandi omnes habentes interesse, & eorum consensus exquirendus. Lott. *loc. cit.*

5. Limitanda secundò, ut vocandus sit Rector in dismembratione, seu alienatione partis beneficii. Ventrigl. *cit. §. 2. n. 18.* Sed de hoc infra.

6. Limitanda tertio: Ita ut, si Rector sponte comparuerit, justam causam allegando contra unionem, audiendus sit. Ventrigl. *loc. cit. n. 17.* citans Barbof. *juris Eccl. l. 3. c. 16. n. 41.* ubi tamen is de hoc nihil. Unde jam illud, quod ait Corrad. *pr. benef. l. 4. c. 8. n. 29.* in fine. Rectorem, si præsens esset, non posse contradicere, intelligendum erit, sine justa causa.

7. Respondeo ad secundum: Neque Rectori beneficii intimanda est unio facta, dum illi non præjudicat. Corrad. *loc. cit.* quamvis addat, se vidisse fieri in praxi hujusmodi insinuationem seu notificationem: potest itaque hæc insinuatio ad hoc servire, ut beneficium unitum non resignet in favorem, non factâ mentione unionis.

Quæstio 919. An requiratur vocatio & consensus defensoris beneficii, dum nimirum unio faciendâ est tempore vacationis beneficii?

Respondeo negativè. Barbof. *loc. cit. n. 41.* Castrop. *cit. §. 2. n. 23.* Tond. *qq. benef. p. 3. c. 156. n. 5.* quia nec hujus defensoris interest fieri, vel non fieri unionem; Constitutioque defensoris beneficii requiritur pro dismembratione, & divisione beneficii, illiusque alienatione, non pro ejus unionem.